6

Estratto dal n. 18 *del Maurolico* 20 *marzo* 1835.

Epistole due del Cav. Vito Capialbi Segretario Perpetuo dell' Accademia Florimontana

I.

VITUS CAPIALBUS NICOLAO MORELLIO S. P. D.

Mitto tibi, Nicolae suavissime, antiqua aliquot numismata optimae notae, inter quae unum aureum Syracusiorum pulcherrimum, quinque argentea, et decem aenea, ut tuo numophylacio reponas. Jucunde accipias velim munusculum, et si parvum, a veteri amico, imo conjunctissimo oblatum. Scio enim quantum tibi debeo, et meam tuorum erga me meritorum memoriam ulla nunquam delebit oblivio. Manent imis infixa medullis tua in me beneficia. Ex quo tempore tu me absentem diligere caepisti, quotidie amanter te dilexi: postea accesserunt etiam conjunctio in biographiis conscribendis tam honorifice a te adprobata, cooptationes nostrae in easdem fere Academias, amici iidem communes (duos tantum honoris caussa nomino Jordanum, Lombardumque (1) vere nostros), quae non mediocre incitamentum mihi quidem attulisse videntur ad voluntates nostras copulandas. Multa praetereo: attamen dulcia vincula, quibus tibi libentissime adstringor, suavitatem consuetudinis, mores, probitatem, litterasque illas interiores, quae nos maxime sicut jam a prima adolescentia delectarunt, non reticeam. Nec oblitus sum epistolarum tuarum, quas ad me plenas humanitatis, comitatis diligentiaeque misisti, dum sive Neapoli, sive Romae, sive Aquilae, sive Potentiae morabaris. Tandem aliquando Hipponii esse caepimus. Hic me carentem invenisti cum familiarissimis Pignatario, Badolato, Paparo, Andreacchio (2), quos mors eripuit, Petronio, Taconiis fratribus, Gerhardio, Wittio (3) mei amantissimis, quos absentia distraxit, tum Scottio, Arditio, Carellio (4), multisque aliis clarissimis viris meis amicissimis, quo-

rum benevolentiam nobis consuetudo, ingenium, et quod aliquid viro dignum semper egimus, conciliarat. His temporibus enim recte iudicavi deponere personam publicam, ac, ut honestissimo otio cum dignitate perfruerer, totum in litteris, et rebus familiaribus me abdere. Quaeso? Nonne modo amplificatorem dignitatis meae, immo invidorum meorum, qui audacia pro sapientia usi sunt, te sponte ultorem praebuisti, et ad Joannem Cennium (5), nostrum item jucundissimum amicum, consilio, gratia, costantia te adjunxisti, ut eos ineptiarum suarum poeniteret? Nonne *decennalia acta Arcadum Vibonensium* publici juris facere tu me impulisti, quae certam dignitatis, studiorumque nostrorum rationem ostendere arbitrabaris? In reliquis officiis, cui tu tribuisti praeter me, ut domum ventitares meam, horasque multas saepe suavissimo sermone consumeres? Tum ob filiae meae connubium illud carmen nuptiale sancto amicitiae numine dictante scripsisti. Quae omnia demostrant, me a te plurimi fieri, uti ego etiam antea judicaram. At demum luculentum dedisti testimonium libro de vita Torquati Tassi, italorum poetarum facile principis, a te ornate scripto, mihique amantissime dicato. Liber et lectus est a me diligenter, et a Vincentio filio (6) diligentissime legetur. Quid dicam? Nihil illo sapientius, nihil elegantius nobis visum est! Opus, Jupiter, doctum, et laboriosum! Manebit nempe, vivetque perennis in aevum liber ille tuus Tassi gesta, laudesque referens, et amicitiae nostrae memoriam posteris quoque prodet. Haec splendida magnitudo cum animi, tum etiam ingenii tui ad eum amorem, quem erga te habebam, tantum accessit ut mihi nunc denique te amare videar, antea dilexisse.

Decem priores libros itineris pictorii, ejusque dedicationem cito remittas, ac salutem plurimam praestantissimae uxori tuae meo nomine impertias, rogo. Caetera coram hodie quidem, aut cras. Fac valeas, atque mutuo me diligas. Vale.

Dabam Hipponii sexto Kalendas Martias A. R. S. MDCCCXXII.

II.

Vitus Capialbus Nicolao Morellio suo S. P. D. Neapolim.

Obitum Francisci Carellii graviter, molesteque, uti veteri amico decebat, tuli. Nempe ipse omnium votorum compos, civilibus rebus agendis dexterrimus, etruscis, latinis, graecisque litteris pereruditus, et amicus sine fuco fuit. Inerat insuper ei versatile ad omnia ingenium, acre, atque facetum, et quod mihi maxime gratum, Arcadum Coloniam Vibonensium, inter quos *Elcimi Lupiensis* nomine cooptatus erat, (cui non ignoras me curas, et operam sedulo impendere), apprime praediligebat; itaque eum ex nostratibus egregiis viris ego et observabam summopere, et colebam. Bene ergo consuluisti memoriae Clarissimi Carellii, Nicolae dulcissime, tu, qui illustria ejus facinora orationi medius fidius luculentae tradidisti; nam ex omnibus honoribus, qui maximi habentur ab amicis mortuis, nullus est tam insignis, quam quidquid illi praeclare in vita gesserint litteris mandare. In ea funebri laudatione quidem belle omnia: at illud in primis, quod, cum eximii oratoris partes complexus sis, ab historica veritate non recedis. Sic epitaphium cum lacrimis concinnavi, si non elegantius, ut res postulabat, sincera tamen, et certa fide decorum, tibique mitto, non quod dignum ducam Carellio, viro nostra aetate praestantissimo, sed ut intelligas, in veteris amicitiae singularisque erga defunctum observantiae pignus, et ut academico satisfacerem officio meo, illud me exaravisse. Etenim tu probe scis, Carellium in plurimas Academias ob multiplicem eruditionem adlectum fuisse: Instituti quippe *Gallici*, et *Neapolitani* scientiis artibusque meliorandis, amplificandisque, *Romani* archeologicis rebus edendis, Academiae Regiae Imperialis *Georgophilorum Florentinorum* Florimontanae *Vibonensis*, aliarumque socius, et Regiae *Herculanensis* Socius ab actis perpetuus fuit. Florimontani, quot quot sunt, te salvere jubent. Patri tuo, viro amplissimo (*) salutem plurimam meis verbis dic: vale cum lectissima uxore; et Aemilia lepidissima puellula tua; et me, ut facis, ama.

Datum Vibone idibus Decembris A. R. S. MDCCCXXXII.

A. ☧ Ω.

FRANCISCO . CARELLIO
DOMO . CVPERSANO . VTRIVSQVE . JVRIS . DOCTORI
INTER . FRANCISCI . I. EQVITES . ADLECTO
VIRO . ETRVSCIS . GRAECIS . LATINIS . QVE . DOCTRINIS . ORNATISSIMO
CENSORI . LIBRIS . EDENDIS
REGIAE . HERCVLANENSIS . ACADEMIAE . SOCIO . PERPETVO . AB . ACTIS
ET . IN . COLLEGIA . PLERAQVE . SODALIVM . ERVDITORVM . COOPTATO
REGVNDIS . ADMINISTRANDIS . INSTITVENDIS . QVE . POPVLIS
MVLTIPLICI . SCIENTIA . VSV . ET . COGNITIONE . RERVM . PRAEDITO
QVI . LITTERARVM . ARTIVM . QVE . STVDIO
ET . RECTE . SENTIENTIVM . AMICITIA . ENITVIT
DE . REGE . DE . RE . PVBLICA . DE . RE . LITTERARIA . OPTIME . MERITVS
VIXIT . ANNOS . LXXIII . MENS. XI. DIES . X. NATVS . NON. OCT. MDCCLVIII
OBIIT . XVI . KALENDAS . OCTOBRIS . A. R. S. MDCCCXXXII
VITVS . CAPIALBVS
AMICO . DVLCISSIMO . ET . BENEMERENTI
LVBENS . LVGENS . QVE.

NOTE della prima e seconda Epistola.

(1) Canonicus Antonius Giordano Regalis Borbonicae Bibliothecarius emeritus, et Andreas Lombardi Pro-Praefectus Palmae in C. Ult. I. ambo doctissimi, ac dulcissimi amici plurimarum Academiarum Socii.

(2) Philippus Jacobus Pignatari Florimontanae Ac. Princeps, vere polyhistor, obiit VI. eidus Feb: MDCCCXXVII.
Franciscus Antonius Badolato Florimontanae Ac. a Secretis, italica, et latina poesi clarus V. I. D. obiit. pridie Kalendas Januarii MDCCCXXVII.
Emmanuel Paparo Florimontanae Ac. Promotor, pictor, orator, et poeta eximius obiit VIII. eidus Septemb. MDCCCXXVIII.
Leolucas Andreacchi Lucerini Ephebei Rector, orator, et poeta mellifluus obiit XI. Kal. Octobris MDCCCXXX.

(3) Franciscus Xaverius Petroni Aprutinae Citerioris Provinciae Praefectus dignissimus, virtutum, scientiarumque omni genere cumulatissimus, vir egregius.
Joseph Taccone Sitiziani Marchio, Franciscus, et Petrus ejusdem Marchionis fratres: Viri, sive animi dotes, sive ingenii acumen spectes, praestantissimi, eruditissimique, ac scriptori sanguine et preclara amicitia conjuncti.
Odoardus Gerhard Berilonensis S. R. M. Borussicae antiquarius, et Instituti Archeologici Romani a Secretis. Clariss.
Carolus Witte V. I. D. in Berolinensi Academia Legum Profess. illustriss.

(4) Eques Angelus Antonius Scotti S. D. N. Papae Praelatus domesticus, et Regiae Borbonicae meritissimus, doctissimusque Praefectus.
Comendatarius Michael Arditi Marchio Castriveteris, Regii Borbonici Musaei antiquitatum Director, Herculanensis Academiae Senior, omnigena eruditione florens.
Eques Franciscus Carelli Herculanensis Academiae Socius perpetuus ab actis, graecis, latinis, italisque, literis eruditus obiit XVI. Kal. octobris MDCCCXXXII.

(5) **Joannes Cenni Montis Leonis in C. U. II. Pro-Praefectus vigilantissimus.**

(6) Vincentius Viti filius Capialbus inter Arcades Florimontanos *Dorisbo Medameo* appellatus, bonisque artibus addictus.

(*) Eques Gregorius Morellius Supremae Curiae totius regni Consiliarius meritissimus, literarum literatorumque fautor.